



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Mater Amoris Et Doloris**

**Ginther, Anton**

**Augustæe Vindelicorum, 1711**

**VD18 15312348**

Consideratio XXII. B. Virgo etiam in nuptiis Cananæis Dolorosa, quæ non  
rogata neosponsis benignè succurrit. Emblema. Sol oriens, & universis,  
tum bonis, tum malis lumen suum impertiens cum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47286](#)

## CONSIDERATIO XXII.

B. Virgo etiam in nuptijs Cananæis Dolorosa , quæ  
non rogata Neosponsis benigne succurrit.



*Et deficiente vino, dicit Mater JESU ad eum:  
Vinum non habent. Joan. 2. 3.*

**M**erito in Sacris Litteris commendatur formosa illa &  
officiosa Rebecca , quæ Eliezer servo Abrahami pri-  
mario ab irinere lasso non duntaxat potum frigidæ ex  
hydria , quam portaverat, promptissimè subministra-  
vit , sed & camelis ejus non requisita, aut rogata li-  
beraliter aquam obtulit : Quæ respondit : *Bibe Domine mi* ; *celeriter*-  
*que depositus hydriam super ulnam suam , & dedit ei potum.* Cūmque Gen. 24. 18.  
Mater Dolorosa.

Z

ille

ille bibisset, adjecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant, effundensque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum, ut hauriet aquam: & haustam omnibus camelis dedit.

En typum in Sacratissima Virgine M A R I A expletum, quæ non solùm ad se fugientibus, sed etiam subinde non se invocantibus, aut rogantibus gratiarum fontem adaperire solet; immo & iustos ac peccatores, qui per camelos deformes, & gibbosos redit adumbrantur, non à se repellit, sed omnes tanquam benignissima

*Ecclesiast. 24.26.* Mater ad se invitat: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & Rich. à S. à generationibus meis implemini.* Audi & Richardum à S. Victore de *Vict. c. 23 in Cant.* prompta ac gratuita hac opitulandi B. Virginis voluntate in hæc verba scribentem: *Velocius, inquit, occurrit ejus pietas, quam invocatur, & causas miserorum anticipat;* Non absumilis fonte, qui non sibi, sed alijs iam non poscentibus in commodum fluit, unde Lemma accep

### Non poscentibus offert.

*John. 2. 1.* 2. Perelegantem hujus veritatis probam nobis exhibent Sacre Paginæ, dum hæc pientissima Virgo pauperum & sacerdotalium nuptijs interesse non dignata est: *Nuptiae factæ sunt in Cana Galileæ, & erat Mater JESU ibi.* Et quid, obsecro, Mater JESU in nuptijs? Speculum omnis sanctitatis, norma vitæ & disciplinæ, ac perfectissimum virtutum omnium exemplar in nuptijs? quem, obsecro, hæc consideratio prima facie non in admirationem rapiat?

*Vide in hunc locum Cornel. à Lap.* Suspende judicium anime mi! Nuptias has juxta Cornelium & alios celebrabat Simon Cananæus, postea Apostolus, qui erat filius Cleophae fratris S. Josephi, Christi Patris Nutriti, & Sponsi B. V. Mariæ dignissimi; vocata est autem hæc Sacratissima Deipara ad nuptias, prout observar Euthymius, tanquam familiaris & cognata, ut per præsentiam suam non tam Sponsos honoraret, quam & eorum paupertati consuleret, atque pro viribus eos adjuvaret; proinde existimat S. Bonaventura, *s. Bonav. in vita Chr.* quod convivio minimè accubuerit, sed velut sollicita Martha in domo Neospionorum ministraverit.

Vocatus est autem & JESUS, tanquam consobrinus Sponsi cum aliquor Discipulis, puta: Nathanaële, Philippo, Petro, & Andrea, qui primò à Christo vocati sunt; & cum vinum paulatim deficeret, ne Sponsi coram invitatis confunderentur, mitissima Virgo Filium accessit, eique vini defectum non rogata modestissimè in-

finus.

sinuavit : Dicit Mater I E S U ad eum : *Vinum non habent.* Supra S. Bernh. ser. quod mellifluè Mellifluus Bernhardus : *Compassa est enim earum ve-* <sup>1. in Dom. 1.</sup>  
*recundia, sicut benignissima.* Quid de fonte pietatis procederet nisi pie- <sup>pōst O&gt;</sup>  
*tas? Quid, inquam, mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis?* Vide <sup>Eptph.</sup>  
 hic, & considera anima Christiana, quām benigna ac misericors in  
 miseris mortales semper extiterit B. Virgo & Mater pulchræ dile-  
 ctionis, non enim ignara malis miseriis succurrere didicit, quia &  
 ipsa omnigenis per omnem vitæ cursum miserijs & adversitatibus,  
 ita DEO permittente, exercita fuit.

3 Neque hoc beneficium hæc pientissima Mater à Filio, vel  
 imperando, quia erat subditus illi, vel impensis rogando postula- <sup>Luc. 2. 31.</sup>  
 vit, sed permodestè tantummodo ei indicavit : *Vinum non habent.* Ita  
 & duæ sorores Martha & Magdalena per submissum nuntium fratris  
 sui Lazari infirmitatem indicarunt : Domine : *Ecce quem amas,* in <sup>Joan. 11. 3.</sup>  
 firmatur ; supra quod pereleganter Magnum illud Ecclesiæ fidus S. s. August.  
 Augustinus : Non dixerunt : *Veni;* amanti enim tantummodo nuntian- <sup>Tract. 49. in</sup>  
 dum fuit : Domine, ecce quem amas, infirmatur ; sufficit, ut noveris : <sup>Joan.</sup>  
 non enim amas, & deseris. Observa hīc peculiarem modestiam ac  
 prudentiam pretiosissimæ Virginis.

Verū quid ad hoc J E S U S morum Magister & temperantiae  
 exemplar? Nondum, inquit ad Matrem, venit hora mea. O bone  
 J E S U ! qualis ergo hæc hora fuit? *Hora passionis*, subintrat hic  
 iterum D. Aurelius Augustinus, ubi in crucem suffixus, ac mo- <sup>S. Aug. Tr.</sup>  
 riens Salvator charissimam Matrem suam dilecto Discipulo sub cru- <sup>119 in Joan.</sup>  
 ce stanti commendavit : *Ecce Mater tua;* & ex illa hora accepit eam <sup>Joan. 19. 27.</sup>  
*Discipulus in sua.* O tristis hora! adverte anime mi, quomodo mi-  
 tilissimus J E S U S tuus etiam inter medias nuptiarum delicias suæ  
 amarissimæ passionis & crucis non immemor esse voluerit ; adeò  
 nibil in orbe faustum, jucundum & deliosum est, quod non ali-  
 quā miseriâ, felle & absynthio est permistum. Proinde anime mi,  
 B. Virginem Deiparam etiam inter medios nuptiarum plausus/con-  
 fistentem rectè Matrem dolorosam appellare poteris, non enim il-  
 lius horæ, à Filio tunc prædictæ, & paulò pōst securaræ ignara  
 fuit : *Sic semper*, inquit ipsa ad S. Birgitram, erat mixta letitia mea <sup>Sand. in</sup>  
 cum dolore ; & S. Irenæus : *Fervore quodam dncebatur Deipara biben-* <sup>S. Irenoph.</sup>  
*lib. 2. Tit. 13.*  
*di Sanguinis Christi poculum.* <sup>S. Irenaus.</sup>

4. Elucet autem in his nuptijs Cananæis singularis pieras & <sup>I. 6. c. 18.</sup>  
 misericordia Sacratissimæ Deiparæ, quæ tunc cum Noëmi ad pau- <sup>peres</sup>

*Ruth. 1.13.* peres Neosponsos meritò dicere poterat : *Quia vestra angustia magis me premit ; & licet videatur Christus duriusculè Matri suæ esse locutus : Quid mibi & tibi est mulier ? Quæ tamen verba , prout notat S. Justin. qu. 136.* aut objurgantis erant : *Non , inquit , objurganda Matris causa à Salvatore dictum est : Quid mibi & tibi est mulier ? Non enim Christus Matrem verbo objurgavit , quam re honoravit , & ad illius instantiam protinus miraculum edidit ; unde mitissima Virgo optimè intelligens dilectissimi Filij sui loquentis verba & animum , sciensque Filium concessurum , quod ipsa petierat , mox ad ministros conversa dixit : Quodcunque dixerit vobis , s. Reg. 2.20. cite . Et si olim Salomon Matri dixit : *Pete Mater mea , neque enim fas est , ut avertam faciem tuam ; quomodo , obsecro , Christus , qui plus est , quam Salomon , publicè in nuptijs confundere potest . S. Antonin. rat faciem Matri suæ tam dilectæ ? Impossibile est , ait S. Antoninus , 4. p. tit. 15. eam non exaudiri , quod eò magis debet verificari de oratione Virginis c. 27. ejusdem nunc in cœlis gloriose .**

Neque mysterio vacat , quod Sacratissima Deipara à dulcissimo Filio vinum postulaverit , -vinum enim lætitiae & consolationis *Psal. 103.15.* Symbolum esse solet juxta illud Regij Vatis : *Vinum letificat cor hominis ; & Sapiens : Date siceram mœrentibus & vinum his , qui amaro sunt animo : Bibant & obliviscantur egestatis suæ , & doloris non recordentur amplius . Econtrario aqua Symbolum tribulationum & Psal. 143.7. angustiarum est ; hinc rectè memoratus Psaltes : Libera me de aquis multis , id est , de tribulationibus , calamitatibus ac miserijs , que ut aquæ circumdederunt animam meam .*

Verum enim vero B. Virgo & sollicita Mater non aquam , sed vinum pro Neosponsis & convivis postulavit , ut per hoc ostenderetur , futuram illam esse mœrentium & desolatorum advocatam benignissimam , hinc rectè iterum Mellifluus : *Vocem tuam audivimus , inquit ; ô Domina rerum ad filium : Vinum non habent ; deficit vinum in cadiis nostris , vinum scilicet letificans cor hominis ; vinum querimus , quod germinat virgines ; calix in manu tua , &c. Et in alio loco idem S. Doctor loquens de mysticis animæ cum D E O nupijs haec 4. sup. Sal. Reg. Idem serm. 2. in Dom. 1. post Oct. Epiph. scribit : *Hic , ait , nonnunquam vinum deficit , gratia scilicet devotionis , & fervor charitatis . Quoties mibi necesse est , fratres , post lacrymosas querimonias vestras , exorare Matrem misericordia , ut suggestat suo benignissimo Filio , quoniam vinum non babeatis ? & ipsa , dico vobis**

bis charissimi, si piè à nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ, quoniam misericors est & Mater misericordie.

5. Revertamur pro more nostro ad Scripturam. De Ana, qui fuit filius Sebeonis, recenset Moyses, quod in solitudine aquas salutiferas, seu thermas aquenses & medicinales invenerit: *Iste est Ana, qui Gen. 36. 24. invenit aquas calidas.* Plus MARIA, quæ venam vitæ & omnis misericordiæ reperit: *Invenisti gratiam apud DEUM, quem & genitum humano propitium reddidit;* proinde rectè à S. Bonaventura appellata est *Vena vite, vena benedicta, & vena misericordie.* Mulier illa Thecuitis ultrò ex compassione reconciliationem Absolonis fugitivi & exulis in se suscepit, & Regis Davidis iram mirè placavit: *Ecce placatus feci verbum tuum.* Quid non poterit misericordissima Virgo, si pro nobis in hac lacrymarum valle exulantibus apud DEUM Patrem, dulcissimumque Filium intercesserit: *Magna fuit, subintrat hic rursus Seraphicus Doctor, erga miseros misericordia MARIAE adhuc exulantis in mundo; sed multò major erga miseros est misericordia ejus jam regnantis in cœlo; majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriā.* Quis est, super quem sol von luceat? Quis est, super quem misericordia non resplendeat?

Eliam Thesbithen famelicum Mulier in Sarepta pane subcinericio pavit, & refecit: *Surge & vade in Sarepta Sidoniorum,* & manebis ibi, precepi enim ibi mulieri vidue, ut pascat te. Ex quo rerum consideranti ingens fides & liberalitas hujus mulieris satis luculentter appetet, dum urgente fame medicum & ultimum farinæ sibi ad vitam in tanta penuria sustentandam adhuc necessarium liberaliter Eliae subministavit. Sed nec minor fuit liberalitas & misericordia pretiosissimæ Deiparæ, dum in his terris versabatur, ubi ne quidem rogata egenorum miseræ benignè succurrebat: *Quid mirum, S. Bernh. ait S. Bernhardus, si invocata adest, que etiam non vocata presto est?* Et observat Gregorius Nicomediensis, B. Virginem in templo ad hoc existentem quotidie cibum suum pauperibus erogasse: *Quotidie, inquit, videbatur ei Angelus loqui, & quasi charissime sorori vel Matri obtemperabat ei, que ambrosium nutrimentum de manu Angeli accipiebat, eoque reficiebat; viatum vero, quem à Pontificibus templa accipiebat, pauperibus erogabat, &c.* Vide hīc, & perpende anima Christiana, qualiter hæc Sacratissima Virgo longe meliori jure,

*Job. 31. 18.* quām olim Princeps Hussaeus dicere possit: *Ab infantia mea crevit mecum misericordia, & de utero Matris meæ egressa est mecum.*

6. Ad Davidem quondam in spelunca Odolla commorantem confugiebant miseri, afflitti & angustiati, quas benignè suscep-

*z. Reg. 22.2.* pit, & ad omnem justitiam & honestatem instruxit: *Convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi aere alieno & amaro animo, & factus est eorum Princeps.* Omiseri, ægri, desolati, afflitti, & pœnitentes, qui aere alieno & pondere peccatorum gravati estis, nec habetis, quomodo & qualiter Justitiae Divinae satisfaciatis, ite, & confugite ad filiam Davidis ac Matrem vestram clementissimam, ut per potentissimam intercessionem suam propitium vobis reddat Filium Judicem; ostendit hic quidem nobis Sacratissima vulnera sua, & omnes calamitosos ac delinquentes ad

*Matt. 11.28.* se benignè invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & oneratis estis, & ego reficiam vos.* Sed nescio, quid intus in animo nos reos subinde terreat: Candidè loquor; suprema ejus & judicaria potestas; sic infans Iesus & nocens, vel patris iram metuens primùm ad sinum matris accurrit. O bone JESU! ignosce, quod dicam, spes unica, prima & ultima nostræ salutis tu es, sed sci-

*Matt. 12.36.* mus, te simul esse Judicem districtissimum, qui de omni verbo otioso rationem requires exactissimam, proinde in timore ac tremore coram te nos oportet salutem nostram operari; sed tibi sint laudes immortales, infinitæ, immensæ, quia dedisti nobis Sacratissimam Matrem tuam in subsidium, solatum, refugium, & auxilium; ut, quod infirmitas nostra non potest, ejus nobis intercessione do-

*Niceph. de Laud. Virg.* netur, unde rectè Nicephorus: *Multa, inquit, petuntur à DEO, nec obtinentur; multa petuntur à MARIA, & obtinentur, non quia potentior sit, sed quia DEUS eam decrevit sic honorare, ut sciant homines omnia per ipsam obtinere posse à DEO.* Audi in solamen tuum &

*S. Bern. cit. à Pistor. de Mater D E I & hominis, & Mater Iudicis & rei, & Mater Regis & exilis, cùm sis Mater utriusque, non decet, ut inter filios discordiam esse patiaris.*

7. Bona Advocata apud Davidem quondam extitit Abigail, mulier sanè prudentissima & blandiloqua, cùm enim David bellum Dux à Nabale, viro opulentissimo & ingrato annonam pro se & militibus suis peteret, & ille non nisi in eum convicia ac contumelias retorqueret, iratus David statuit, & juravit, se Nabalem cum

cum omnibus suis, & ne carne quidem vivo relicto, interfectum. Audit hoc fortè prudentissima Abigail, quæ, ut Davidem statum, & jam cum cohortibus suis ad evertendam Nabalis domum properantem præveniret, citò ei in occursum venit, illùmque orationis suadâ & munificentâ mirum in modum placavit: *Cum autem r. Reg. 25.22.  
vidisset Abigail David, festinavit, & descendit de asino, & prodi-  
git coram David super faciem suam, & adoravit super terram, & ce-  
cidit ad pedes ejus, & dixit: In me sit, Domine mihi, hæc iniquitas, &c.*

Vide hic, & considera anima Christiana in Abigail insignem Sacratissimæ Virginis MARIÆ typum, omnium miserorum & afflictorum potentissimæ apud DEUM Advocatæ & Patronæ, si enim in nuptijs Cananæis ad illius instantiam Christus Dominus non solùm memoratos Neosponsos, sed & omnes convivas præfentes primo miraculo honoravit, & optimo vino consolatus est, quid modò ad illius intercessionem faciet in cœlo? Audi in hanc rem S. Bernhardinum Senensem: *Mater, inquit, in nuptijs in Cana Galilæa interpellat, ac si ad eam cura omnium pertineret, & omnium hominum advocatam se sentiens, que præ omnibus creaturis cunctarum facta fuerat Virgo Mater, officium advocationis & pie auxiliatricis as-  
sumpsit etiam non rogata.*

Soler autem hæc benignissima Virgo afflictis in omni statu conditione libentissimè compati, quia omnium afflictiones & ipsa experta est. B. Ivo Presbyter, & in utroque jure apprimè excultus in judicijs pauperum & derelictorum causas gratis ob amorem DEI & proximi in le suscepit defendendas, quod modò pauci Juristæ sine mineralis compensatione facere assolent. Verum enim verò hæc Sacratissima Virgo omnium pauperum, afflictorum & desolatorum totius mundi, si velint, & ad ipsam recurrerint, Patrona & Advocata apud DEUM esse discipit, Virginum comprimis, quia & ipsa semper Virgo permanit; Conjugatorum, quia & ipsa conjugij miseras experta est; Viduarum, quia & ipsa vidua exitit Sponsor & Filio orbata; pauperum & calamitosorum omnium, quia cum ipsis in hac vita mortali semper coafflicta fuit; proinde rectè cum S. Augustino & Ecclesia oramus: *Sancta MARIA succurre miseris, S. Aug. ser.  
juva pusillanimes, refove flebiles, &c. Et cum S. Bonaventura: Af  
fidne roganda est MARIA, & congratulatio beatitudinis ejus sit semper apud nos, ut compassio misericordie nostræ sit semper apud eam.*

*S. Bonav in  
Spec. B. Virg  
cap. 9.*

O ani-

*Joel. 2. 13.  
2. Cor. 1. 3.*

*Hab. 4. 9. 15.*

O animæ Christianæ, desolatæ, afflictæ & mille objectæ miserijs, ne cedite malis, annuntio vobis gaudium magnum, DEUM habebitis verè benignum, verè clementem, ac præstabilem super misericordia, imò & Pater est misericordiarum & DEUS totius consolationis, sed nec Mater vobis deest, verè Mater misericordie, dum enim misericordiam Virgo genuit, meritò Mater misericordiæ, prout illam appellat universa Ecclesia, effecta est : *Et nunquid potest Mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Et si illa obligata fuerit, ego tamen ( ait misericordiarum Mater ) non obliuiscar tui, in corde enim meo descripsi te.*



CON-